Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 363
Quelle:
Copyright:

Hos an Autores, an Librarios dicam, nescio. Offerunt se quidem *Theodorici*, qui *Metrica* scripsere, sed horum aetas Poemati nostro non congruit, quod *Bernardum* adpellat *beatum*. Ad calcem: *Explicit stella puerorum*, vel si mavis, *paruorum*. *Anno domini. M°. CCCC°. LIII°.* Item: *Gloria scriptoris primumque sui creatoris. Vacat hic versus.* Nequis eum putet Poemati accensendum.

IV. *fol.* 102. Poema hexametrum rhythmicum in laudem S. *Gregorii* M. ejusque Operum, allegoria sumta e *Canticis Canticor.* literis initialibus Carminum insuper *Cap. III. versum* 9. et 10. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon* &c. et illud *Eccl*i. XLVII. v. 12. *Ornavit tempora usque ad consummationem vitae*, repraesentantibus. Initium:

Fert liber insignis. quia de libani sibi lignis
Ex animo sculpta formaret fercula multa
Rex salomon prudens. qui carmina plurima cudens &c.

Ultima:

Merces ergo poli Wilhelmo fixa priori
Munera tanta bono Sigeberch in monte patrono
Articulat celi quia signifero Michaeli
Tum probat hec Anno cum Mauricio duce magno
Inter quos dignus martir rutilando benignus
Omnia perpendit trutinat gratesque rependit,

En Monasterium *Siegebergense* O. S. B. ad *Sigam* amnem in Dioecesi *Colon.* trans *Rhenum* monti incumbens a S. *Annone* a. 1066. cum Basilica sub invocatione SS. *Michaelis*, *Mauritii* et Sociorum conditum et a. 1073. corpore S. *Benigni* Mart. auctum, cujus Abbatum Series, nuda licet et ἀχρονος, e *Bucelino* in T. III. *Galliae Christianae* p. 766. transscripta *Wilhelmos* exhibet *tres*, in quorum primum dictum a *Spiess* inclino. Sed et reliqua audiamus:

Nec labor heinrici scripture talis amici
Exsors laudis erit calamo qui premia querit
Mente. manu. cultro consummans hoc opus ultro.
Vita sibi detur opus hoc quicumque tuetur
Intereat digne rapiens illud stigis igne
Terribilem mortis procul a nobis leo fortis
Expellat neuum qui regnat nunc et in euum.

Si